Universitätsbibliothek Halle

Morbio 22 (46a)

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, indictione sexta, die vigesimonono mensis octubris. Actum in Civitate Ast. videlicet in domo heredum Spectabilis
legum doctoris domini Obertini Nate quondam civis Ast. videlicet in salla ipsius domus, presentibus testibus ad infrascripta vocatis et rogatis Bartolomeo Guercio et magistro Johanne de Carnerys Sartore civibus Ast. / Quorum
et mei notarii infrascripti presentia Rolandus Jamglus civis Ast. filius quondam Secondi pro se et heredes et successores suos et habitos seu habituros causam ab eo sponte et ex eius certa scientia et animo deliberato
dedit vendidit et tradidit, seque dedisse vendidisse et tradidisse confessus fuit et palam et publice recognovit iure proprio et in perpetuum libere et in allodium Spectabili domino Secondino Nate civi
Ast. filio quondam prefati domini Obertini, presenti ementi et recipienti pro se et heredibus suis, peciam unam sedimis cum fundamentis, sitam in posse Insule ubi dicitur in plano Insule, cui coheret ab una
parte Salvinus cognominis habitator dicti loci Insule, Monasterium apostolorum de Ast. pro eo quod ibi habet, ab alia parte via comunis ab alia, et alii si qui sunt. Ad habendum tenendum et possidendum et quicquid
prefato domino Secondino emptori et eius heredibus et successoribus placuerit deinceps perpetuo faciendum, Cum omnibus et singulis que dicta pecia sedimis habet et habet supra se infra et intra se in integrum,
omnique iure et actione usu et requisitione sibi ex ea aut pro ea et ipsi pecie sedimis modo quolibet pertinente, accessibus quoque ingressibus et egressibus suis usque in vias publicas. / Et hoc pro precio
nomine precii Januinorum quatuor auri, / Quos Januinos quatuor auri boni et ponderis ac bone lige dictus Rolandus fuit confessus et contentus habuisse et realiter recepisse a prefato domino Se-
condino dante solvente et realiter numerante dicto Rolando presenti et recipienti in presentia dictorum testium et mei notarii infrascripti, Renuncians ad cautellam dictus Rolandus pro se et heredes suos exceptioni non numerate pecunie
et non habiti recepti et realiter numerati dicti precii ac dictorum Januinorum quatuor auri, speique future receptionis et numerationis, ac exceptioni doli mali metus et infactum actioni, condictioni sine causa et ex iniusta
causa ac omni alii exceptioni defensioni iuri, / Quam quidem peciam sedimis cum aliis supradictis idem Rolandus pro se et heredes et successores suos constituit tenere et possidere nomine et vice prefati domini
Secondini et heredum et successorum suorum, donec et quousque de ipsis corporalem possessionem et quasi acceperit, / Quam accipiendi et acceptam retinendi propria auctoritate ipsius domini Secondini et sine licencia
cuiuslibet iudicis et magistratus impune et ad beneplacitum ipsius domini Secondini et quandocumque voluerit licenciam omnimodam contulit atque dedit prefato domino Secondino presenti stipulanti et recipienti pro se et heredibus
suis, / Et promisit sollempniter dictus Rolandus pro se et heredes et successores suos prefato domino Secondino presenti stipulanti et recipienti pro se et heredibus suis dictam peciam sedimis ut supra venditam
defendere manutenere auctorizare et disbrigare prefato domino Secondino et eius heredibus ab omni persona et personis loco comuni collegio et universitate, / et vacuam et expeditam possessionem tradere prefato domino
Secondino, / et eundem dominum Secondinum et eius heredes et successores in eadem facere potiores sub pena dupli dicti precii in singulis capitulis presentis contractus sollempniter promissa et sponsione com-
mittenda et exigenda ab ipso Rolando et eius heredibus cum effectu totiens quotiens fuerit contrafactum, / Remissa etiam per ipsum Rolandum ut supra prefato domino Secondino necessitate denunciandi
appellandi et iuditium et appellationem prosequendi, / et quomodocumque res evincatur et quandocumque, / Qua pena soluta vel non, exacta vel non, semel bis et pluries, nichilominus dicte partes firma manere
voluerunt supra et infrascripta, sollempnibus stipulationibus intercedentibus, quia sic placuit ipsis partibus, / Item reficere et restituere ac resarcire prefato domino Secondino omnia et singula dampna expensas
et interesse litis et extra, / de et super quibus credi voluit ipse Rolandus pro se et heredes suos prefato domino Secondino et suis predictis sine testibus et iuramento et qualibet alia probatione, et iudicis taxatione, /
Renuncians quoque ipse Rolandus in predictis et infrascriptis exceptioni doli mali metus et infactum actioni condictioni sine causa, et ex iniusta causa, et rei non sic geste vel aliter scripte
quam geste, / et omni alii exceptioni defensioni et iuri, / Et pro predictis omnibus et singulis firmiter attendendis et observandis, / dictus Rolandus omnia sua bona mobilia et immobilia presentia et futura obligavit
et ypothecavit prefato domino Secondino presenti stipulanti et recipienti pro se et heredibus suis, / Que bona tenere et possidere constituit nomine et vice ipsius domini Secondini et heredum suorum promissorum
occasione, / Et de predictis prefatus dominus Secondinus et dictus Rolandus preceperunt ac rogaverunt per me notarium infrascriptum fieri publicum instrumentum, et plura si opus sit, dictamine etiam sapientis. /

Ego Obertinus Ceruttus filius Jacobi de Fontaneto Vercellensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, prescriptis omnibus et singulis dum ut supra scripta sunt agerentur interfui /
et vocatus et rogatus scripsi, / Ad quorum fidem me subscripsi, et signum mei tabellionatus consuetum apposui. /

Morbio 22 (46 b)

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo tercio, indictione sexta, die decimo mensis novembris. / Actum in Civitate Ast. in domo heredum Spectabilis legum doctoris domini
Obertini Nate quondam civis Ast. videlicet in studio ipsius domus, presentibus testibus ad infrascripta vocatis et rogatis Nobile Johanalberto de Salla de Rocha et Bartolomeo Guercio civibus Ast. ac Obertino Brea de Pa-
lazolio Vercellensis diocesis, / Quorum et mei notarii infrascripti presentia Rolandus Jamglus civis Ast. filius quondam Secondi pro se et heredes et successores suos et habitos seu habituros causam ab eo sponte et ex eius certa scientia
et animo deliberato, / dedit vendidit et tradidit, seque dedisse vendidisse et tradidisse confessus fuit et recognovit iure proprio et in perpetuum libere et in allodium Spectabili legum doctori domino Secondino Nate
civi Ast. filio prefati domini Obertini quondam, presenti ementi et recipienti pro se et heredibus et successoribus suis peciam unam terre cum fileriis, sitam in posse Insule ubi dicitur in Pamparato, quam esse asserunt sestaria
tredecim ad mensuram Ast., / cui coheret ab una parte via, ab alia
Ad habendum tenendum et possidendum et quicquid prefato
domino Secondino emptori et eius heredibus et successoribus placuerit deinceps perpetuo faciendum, / Cum omnibus et singulis que dicta pecia terre cum fileriis habet et habet supra se infra et intra se in integrum,
omnique iure et actione usu et requisitione sibi ex ea aut pro ea, et ipsi pecie terre cum fileriis modo quolibet pertinente. Accessibus quoque ingressibus et egressibus suis usque in vias publicas, / Et hoc
pro precio et nomine precii Januinorum quatuor auri, videlicet ad racionem Januini unius pro quolibet sextario, / Quod precium seu quos Januinos tredecim auri boni et ponderis ac bone lige predictus Rolandus confessus
fuit habuisse et realiter recepisse a prefato domino Secondino dante solvente et realiter numerante in presentia dictorum testium et mei notarii infrascripti, / Renuncians ad cautellam ipse Rolandus
pro se et heredes ac successores suos exceptioni non numerate pecunie, / et non habitorum non receptorum et sibi non datorum numeratorum et traditorum dictorum Januinorum tredecim auri ac dicti precii, / speique future
numerationis et receptionis ac exceptioni doli mali, omnique alii exceptioni deffensioni et iuri, / Quam quidem peciam terre cum fileriis dictus Rolandus pro se et suos predictos constituit tenere et pos-
sidere nomine et vice prefati domini Secondini et eius heredum et successorum, / donec et quousque de ipsa pecia terre cum fileriis possessionem corporalem et quasi acceperit, / Quam possessionem accipiendi
et acceptam retinendi propria auctoritate ipsius domini Secondini et sine licentia cuiuslibet iudicis et magistratus impune, et ad beneplacitum ipsius domini Secondini et quandocumque voluerit
licenciam omnimodam contulit atque dedit prefato domino Secondino presenti stipulanti et recipienti pro se et heredibus suis. / Et promisit sollempniter dictus Rolandus pro se et heredes et successores suos pre-
fato domino Secondino presenti stipulanti et recipienti pro se et heredibus et successoribus suis dictam peciam terre cum fileriis ut supra venditam deffendere manutenere auctorizare et disbrigare prefato domino Secondino
et eius heredibus ab omni persona et personis, comuni, collegio et universitate, / et vacuam et expeditam possessionem tradere prefato domino Secondino, / et eundem dominum Secondinum et eius heredes et suc-
cessores in eadem facere potiores, / sub pena dupli dicti precii in singulis capitulis presentis contractus sollempniter promissa et sponsione committenda et exigenda ab ipso Rolando et eius heredibus cum effectu
totiens quotiens fuerit contrafactum, / Remissa etiam per ipsum Rolandum ut supra prefato domino Secondino necessitate denunciandi appellandi et iuditium et appellationem prosequendi, et quomodocumque res
evincatur et quandocumque, / Qua pena soluta vel non, exacta vel non, semel bis et pluries, nichilominus dicte partes firma manere voluerunt omnia et singula supra et infrascripta sollempnibus stipulationibus
intercedentibus, / quia sic placuit ipsis contrahentibus, / Item reficere et restituere ac resarcire prefato domino Secondino et suis predictis omnia et singula dampna expensas et interesse litis et extra, / de
et super quibus dampnis expensis et interesse credi voluit ipse Rolandus pro se et heredes suos prefato domino Secondino et suis predictis, sine testibus et sacramento et qualibet alia probatione, et iudicis
taxatione, / Renuncians quoque ipse Rolandus in predictis et infrascriptis omnibus et singulis exceptioni doli mali metus et infactum actioni condictioni sine causa, et ex iniusta causa, et rei non sic geste
vel aliter scripte quam geste, / et omni alii exceptioni deffensioni et iuri, / Et pro predictis omnibus et singulis firmiter attendendis et observandis dictus Rolandus omnia sua bona mobilia et immobilia
presentia et futura obligavit et ypothecavit prefato domino Secondino presenti stipulanti et recipienti pro se et heredibus suis, / Que bona dictus Rolandus tenere et possidere constituit nomine et vice prefati
domini Secondini et heredum suorum, promissorum occasione, / Et de predictis prefatus dominus Secondinus, et dictus Rolandus preceperunt ac rogaverunt per me notarium infrascriptum fieri
publicum instrumentum, et plura si opus sit, dictamine etiam sapientis. /

Ego Obertinus Ceruttus filius Jacobi de Fontaneto Vercellensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, prescriptis omnibus et singulis dum ut premittitur agerentur interfui /
et vocatus et rogatus sic scripsi, / Ad quorum fidem me subscripsi, et signum mei tabellionatus consuetum apposui. /

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1855322455-15
DFG

1443. 29. oct. et 10. nov.

Morbio 22 (46)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Instrumenta Sedimenis et tene emptorum de Rolando gamiglo cuius dat in Insula seu posse

1443 hac 29 Octob.
1443 die 10. Novembris.

ISOLA
XXVIIII

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1855322455-15